REGULAE PATRUM
12. Jh. Seite 72v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26181
Copyright: Admont, Benediktinerstift



materie. succurre carnali fragilitati. Patent tibi uulnera mea. coram te est egritudo mea. tu uides quantum sauciatus sum et languidus. Medicinam qua saner tribue. medelam qua curer impende. Reuoca infectum uitiis. reforma corruptum peccatis. Extingue in me flammam concupiscentie. iacula ignita diaboli me ultra non penetrent. non exardescant in me ulterius. Tu scis temptationes quas porto. tu scis fluctus quos patior. tu nosti tempestates quas tolero. ubi lapsus sim. ubi defluxus sim. ubi infelix dimersus sim tu scis. Incurri enim negligens in ruinam. corrui incautus in turpitudinis foueam. Decidi in ceno flagitiorum. descendi in profundum malorum miser. Erue animam meam captiuatam ab inferis. erue me de inmanissima abysso. Non me concludat profundum. non mihi deneget exitum. Ecce dies metuendus iam imminet. iam dies ultimus uenit. Instat limes uite. nichil super est preter sepulchrum. nichil super est preter tumulum. Parce mihi ante quam eam. munda me ante quam ab hac uita egrediar. solue priusquam moriar. peccatorum meorum uincula. RATIO.

Commotus sum ad lacrimas tuas. ad lamentum tuum compunctus sum. Lamentatio tua me resoluit. lamentatio tua lacrimas mihi exegit. Lamentando ad lacrimas me coegisti. lamentando ad fletum me commouisti. Ad lacrimas tuas resolutus sum. ad lamentum tuum lacrimas fudi. Deus tibi optata tribuat. deus tibi ueniam tribuat. deus tibi culpas tuas parcendo ignoscat. peccata tua deus a te suspendat. Peccata laxando dimittat. criminum tuorum maculas abluat. Ab omni te mali labe detergat. liberet te ab omni imminente peccato. Age itaque iam ut oportet. age ut decet. age ut dignum est. age ut equum est. age ut rectum est. Propone ut ulterius non pecces. ne ultra delinquas statue. Caue culpas tuas iterare. caue mala repetere. Aduitium ex quo excidisti. non te reuoces. quod deliquisti non iteres. transacta mala non repetas. Post lapsum denuo non delinquas. non te polluas post lamentum. post penitentie luctum non redeas ad peccatum. Non denuo admittas deplorata delicta. nec culpa pro qua ueniam postulas. iterare presumas. nec rursum facias quod iterum plangas. Inanis est penitentia. quam culpa sequens coinquinat. uulnus iteratum tardius sanatur. Frequenter peccans. et lugens ueniam uix meretur. Nichil prosunt lamenta si replicantur peccata. nichil ualet ueniam a malis poscere. et mala denuo iterare. Persiste ergo in confessione. esto in penitentia fortiter confirmatus. Vitam bonam quam cepisti tenere ne deseras. propositum bone uite conserua iam iugiter. Tunc erit perfectum opus bonum. si in fine usque durauerit. Salus perseuerantibus promittitur. premium perseuerantibus datur. Non est ille beatus qui bonum facit. sed qui incessabiliter facit. Qui enim perseuerauerit usque in finem. hic saluus erit. EXPLICIT LIBER PRIMUS. Incipit LIBER Secundus. RATIO.

Quesoto te anima. obsecro te. deprecor te. imploro te. ne quid ultra leuiter agas. ne quid inconsulte geras. ne temere aliquid facias. ne repetatur malum. ne renascatur peccatum. ne redeat iniquitas. ne recurrat malicia. ne denuo exoriatur nequitia. ne re